DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE FLAVA INDIÆ OCCIDENTALIS.

FRATRI OPTIMO SUO

FOSTER MARCH,

ARMIGERO,

AD

S^{M}. IAGO DE LA VEGA,

IN

JAMAICA

HABITANTI,

PROPTER BENEFICIA INNUMERA,

AMORE VERE FRATERNO,

IN EUM COLLATA,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATO

OFFERT

AUCTOR.

NEC NON

GUALTERO LUNDIE,

ARMIGERO,

IN

JAMAICA,

CHIRURGO,

ET

ANDREÆ WARDROP, *M. D.*

IN URBE EDINENSI,

CHIRURGO PERITISSIMO,

SUB QUORUM AUSPICIIS

ARTEM MEDICAM EXPLORAVIT,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

OBSERVANTIA ET EXISTIMATIONE SUMMA,

DICAT ATQUE CONSECRAT,

GULIELMUS MARCH.

Mr. Moore
with best Compliments
from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE FLAVA

INDIAE OCCIDENTALIS.

HUNC è catalogo morborum longo mihi ſelegi, ut diſſertationis inauguralis argumentum eſſet, brevi, ut ſpero, in illâ orbis regione, artem medicam exerciturus, ubi diu, nec hodie mitior, cladem miſerrimam hominibus intulit.

Nomine febris flavae apud nos vulgo appellatur, a flavedine, in exemplis plerisque, super cutem diffusâ, morbo ad finem vergente. Apud gentes alias, varie audit, ob res diversas quibus distinguitur. Hispani, *vomito preto* vocant, à signo quodam ejus dirissimo, quippe haec vocabula vomitum nigrum denotant. Gallis, sub nominibus *Fievre de Matelot*, et *la Maladie de Siam*, innotuit; illo, quia nautas saepius adoritur et necat; hoc, ab opinione falsâ, quod morbus ab regno isto acceptus fuerit, et in India Occidentali propagatus.

Ex Lind et Hillary sententiis, hic morbus, Insularum Occidentalium nostrarum indigena habetur. Advenas ferè solos corripit, eos praesertim, qui à regione frigidâ vel temperatâ advecti fuerint; et ex his, prae aliis, milites et nautas. Feminae et infantes ei minus obnoxiae quam ii jam memorati inveniuntur; at ex omni genere robustissimi

buſtiſſimi et temperamento ſanguineo praediti maximè tenentur periculo. Nigros ab hoc malo Natura benigna omnino liberaſſe videtur.

Haud pro comperto apparet, tempeſtatis conditionem aut anni tempora magis minùſve hunc morbum afficere, niſi, quod in omni febre plerumque accidit, ſigna, in calida quam in temperata graviora fieri.

Poſtquam caelo et aeri inclementi harum regionum aliquis ſe temerè expoſuerit, aut intemperantiae imprudenti indulſerit, languorem et debilitatem inſignem, dolore capitis et vertigine, primo, conqueritur. Vertigini ſuccedunt nauſea, frigus, horror, raró cum rigore, anxietas et ſenſus quidam ardens circa praecordia et capitis regionem. Nullo diei tempore certo invadit. Corporis calor mox augetur; dorſum dolet, ſed caput, acerbiſſimè. Muſculi crurum quoque dolore

lore interdum tentantur. Facies rubore suffunditur; oculi rubent, et calore ardente inflammati aliquantulum prominent. Vultus tristitiâ et squalore fero horret.

Pulsus admodum variant; in quibusdam celeres, duri, debiles, nec non interdum pleni. In aliis citati sunt, aliter naturales. Respiratio, plena, cita, laboriosa est. Cutis calida est, interdum arida, saepius humida. Calor, licet non admodum intensus digito pertractantis sensum peculiarem addit.

Lingua interdum sicca est et siti inexplebili afficitur, sed longè frequentius madet, mediâ parte impura, extremis rubra, unà cum oris sapore amariusculo, et siti haud ita magnâ.

Urina variat; in quibusdam parca, turbida, et rufa, ardorem in urethrâ quandam ciens, dum emittitur.

Pleraque

Pleraque ex his ſignis augeri pergunt, et multò graviores fiunt. Nauſea et vomitus propè ſemper vexant; calor et hypochondrii dextri dolor acerbius, et preſſurâ graviores accreſcunt: Oppreſſio dira praecordia obſidet, ſuſpirio frequenti et profundo, inquiete ingenti et artuum jactatione perpetuâ. Nulla poſitio requiem conciliare poteſt; ſomnus propè nullus eſt, vel adeò perturbatus, ut nihil corpus reficiat. Ventriculi dolor violentus premit, qui adeo irritabilis eſt, ut quicquid ore accipiatur ferre recuſet. Dolor capitis intolerabilis fit, ſenſu admodum miſero qui frontis regionem occupat.

Oculi rubri et dolentes manent, lucis intolerantiâ; vultus quoque torvus atrocitate quadam haud exprimi facili tenetur.

Haec ſigna in diem tertiam plerumque perſtant, licet interdum non ultra primam vel ſecundam,

in

in quibusdam usque in quartam, cum pulsus multum cessat, et intermittit, quamvis est ubi citatus maneat. In quibusdam haud citatior quam in bonâ valetudine invenitur, sed hoc animadvertendum est, quod semper debilis sit, et sudores gelidi viscosi comitentur.

Lingua, crustâ quâdam fuscâ, interdum nigricante tum operitur. Materia vomitione rejecta, quondam subviridis, nunc obscura, fusca, interdum striis oleum referentibus, nigrior fit. In hoc stadio morbi nulla vomendi cupido est, donec plurimum materiae in ventriculo collectum sit, cum subitò, et magna profusione ejicitur. Aeger tum quietus manet, donec onus aliud in stomacho congeratur, quod, ut antea, projicit.

Coma quod delirium aliquando dirumpit, nunc demum, supervenit. Delirium interdum saevit, et aeger furiosus fit ; sed hoc porrò accidit, brevi post

initium morbi, et complurium viribus ſaepiſſimè eget, qui aegrum in lecto retineant. Cum hoc adveniat oculorum pupillae, morbo jam incipiente, dilatantur.

Sitis quae in quibuſdam haud magna, in aliis ingens eſt. Sedes nigriuſculae, picem referentes, frequentius jam dejiciuntur, et faetorem intolerabilem emittunt. Urina quoque ſubnigreſcit, craſſa, acris, ſanguine rubro commixta, guttatim exprimitur.

Oculorum rubor, qui olim ſubnigreſcere incepit, nunc in flavedinem mutatur. Haec flavedo circum os, oculos, per tempora, collum, et praecordia primum obſervatur, nec ita multò poſt, per totum corpus ſpargitur. Et hanc ſigna diriſſima et ſuprema comitantur; ſingultus nempè, coma profundum, oculus nubiloſus, pupillâ manifeſtè dilatata; pulſus ſerpens et intermittens;

petechiae

petechiae per corporis partes aliquas, abdomen et femora praefertim; haemorrhagiae a locis diverfis prorumpentes, ut a naribus, ore, auribus, oculifve; aliquando è cutis fpiraculis; refpiratio laboriofa et interrupta; fubfultus tendinum, fufpiria multa, anxietafque magna; extremitatum frigus et poftea totius corporis, vocis haefitatio; tremores, poftremo convulfiones, quae mala omnia finiunt.

Sed minimè infrequenter accidit, ut momenta fuprema aeger tranquilliùs attingat.

Pulfus rapidè decidit, vifus et auditus obftruuntur, oculi fine motu ftant, et fomno aeterno premitur.

Interdum autem evenit, ut circiter horam duodecimam ab acceffione morbi, fignorum remiffio levis, minime tamen vera fiat. Nihil enim

huic

huic fidendum eſt; brevi, ſigna recurrent, et viâ jam memoratâ finient. Tertiam quoque circiter diem, pleraque ex ſignis interdum remittunt, et alia multum diverſa, ut ſudor et diarrhoea lenis ſuperveniunt, prioribus omnino evaneſcentibus. Sed exitus felix non expectandus eſt; licet enim calor naturalis factus fuerit, dolor capitis ceſſaverit, et aeger a ſignis omnibus liberum ſe ſenſerit, eatenus quidem ut ipſe et circumſtantes periculum jam amotum credant, attoniti ſe ſpem inanem foviſſe invenient; nam brevi, dum falſa niteant, convulſiones et mors atra aderint. Sin autem, in hoc ſtadio, intermiſſio adveniat ſudoribus lenibus ab toto corpore provenientibus, pulſus naturalis et rite fortis redeat, morbus vincitur, cura peracta eſt—ſed haec rarò nec temerè occurrunt.

Cadaver paullulò poſt mortem putreſcit, tam brevi quidem ut non ultra horam ſeptimam vel

octavam deinceps inhumatum servare liceat. Cutis purpurea vel nigra fit, maxime circa praecordia, hypochondriumque dextrum, et sanguis à variis meatibus exudat.

Duratio hujus morbi variat; in exemplis quibusdam saevissimis intra horam vigesimam quartam, aegrum conficit; in aliis mitioribus in diem septimam, novam aut undecimam profertur. Tempus ejus ordinarium quatuor aut quinque dies complectitur. Sanguis ab iis qui venaesectionem suaserunt, colore admodum vivido et rubro esse fertur, multum rarefactus, sine ullo visciditatis signo; et cum frigidus sit, crassamentum vix cohaerere, sed fluctuare affirmant. Sanguis, die secundâ missus, multò magis dissolvitur, serum flavius est, crassamentum vividum, et colorem diei prioris retinens, nisi quod maculis paucis nigriusculis superficies ejus tingatur.

Cerebri

Cerebri venae ſanguine nigro turgidae inventae fuerunt; in exemplis quibuſdam ſeri effuſio in ventriculis detecta eſt. Omnia fere viſcera in ſtatu morbido, cadaveribus ſectis, reperta fuere. Pulmones lividi, aliquoties maculoſi. Ventriculus et canalis inteſtinorum partes ſummae colorem nigro-flavam et inflammationis praegreſſae notas habuerunt: ventriculi tunica villoſa nec non duodeni in locis quibuſdam abraſa eſt. Et haec et jecur maculis nigris, lividis et corruptis completa ſunt. Veſica fellis ferè ſemper turgida eſt, materiam nigram craſſam, picem liquidam multùm referentem habens. Haec quoque in duodeno inventa ſunt et canalis partibus ei contiguis. Facies interna veſicae urinariae ſanguine grumoſo oppleta fuit.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Morbi, quibus hic ſimilior eſt, ſunt *Febris biliosa remittens*, et *Typhus regionum calidarum*: à primâ, ſignorum violentiâ, et curſu in diſſolutionem rapido diſtinguitur; porro haec febris nullam remiſſionem manifeſtam patitur, ſed ab initio ſine ceſſatione alternanti ad finem progreditur, poſtremò, dilatatione pupillae et ſuſpirio frequenti ab imo pectore ducto.

Dolor capitis ſingularis et perpetuus huic morbo proprius eſſe dicitur. Ii quoque laborantibus hac febre famulari aſſuefacti, oculorum et vultus ſpeciem ſingularem memorant, quâ hanc ab omnibus aliis certiſſimè diſtinguant. Haec autem oculorum et vultus ſpecies à nemine verbis ſatis expreſſa fuit.

Ab altero morbo diſcrepat, quia non contagi-

oſa

osa sit, et indicia, signa multo majora inflammationis, sub initio et primo gradu, praeferunt. Haec autem discrimina minimè certa sunt, quippe verisimile est, ea interdum confundi. Ad febres distinguendi in regionibus calidis, difficultatem illustrandam, verba LIND, citare libet, ubi haec ait. "* It is to be observed, that when a "person, upon his first arrival in the West In-"dies, or in any other country between the "tropics, is attacked with a fever, no physician "can tell what symptoms will occur in its pro-"gress, or whether it will terminate by dis-"charges of bile, by a jaundice, or by symptoms "of a malignant nature."

RATIO SIGNORUM.

DOLOR capitis intensus et oculorum rubor, ex vasorum cerebri distentione praeter naturam ab impetu sanguinis in caput aucto oriuntur.

Oppressio

* Essay on Diseases of Warm Climates, p. 232.

Oppreſſio et anxietas circa praecordia ex irritatione in ventriculo factâ ab ſecretione bilis auctâ et vitiatâ ortum ducunt, quae irritatio ſanguinis decurſum in eum locum efficere poſſit.

Vomitio frequens ab irritatione bilis acris et vitiatae in ſtomacho et duodeno excitatâ, vel ſecretione ſucci gaſtrici prava gignatur; vel denique ſymptomatica ſit ex capitis affectione, conſenſus enim intimus inter haec organa primaria ſemper ſubſiſtit. Vomitus niger, bilis eſt corrupta, in ſtatu quodam ſingulari, interdum ſanguine ab ventriculi vaſibus, forſan etiam hepatis, mixta.

Alvi aſtrictio, aut ab ingeſtis ſemper è ventriculo rejectis ſimul atque ſumtae fuerint, ita ut nihil deſcendat; vel à motu depravato quodam canalis inteſtinorum ex vomitione violentâ et perpetuâ, inducto; vel ab conditione torpidâ nervorum in via alimentariâ, ſenſorii ſtatus quoſdam ſemper comitante, derivari veniat.

Cutis

Cutis flavedinem bilis abſorptio copiâ inuſitatâ ſecretae, et primum in maſſam ſanguinis generalem, deinde per totam ſuperficiem illatae, efficit.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Cum pro certo notum ſit, eos temperamento ſanguineo et corpore robuſto, maxime autem eos à plagâ orbis frigidâ advectos, huic morbo prae aliis obnoxios eſſe, aliqua conditio in corpore ipſo ſit oportet, quae illud malo aptius reddat; et cum appareat, exercitio violento, ebrietati vel cuivis alii quod cordis arteriarumque actionem maxime adaugeat, febrem flavam frequentius supervenire, habitum corporis plethoricum huic maximè praediſponentem crediderim.

CAUSÆ OCCASIONALIS.

De hac inter Medicos minime convenit. Multi qui in regionibus calidis, diu, et cum ſumma laude rem medicam exercuerunt, febrem hanc contagioſam eſſe affirmant, quod alii, nec fide minori digni è contra negant.

Rebus ita ſe habentibus multum dubitans ad hanc argumenti partem venio. Omnibus de hac re, quae aut legi aut audivi, ritè perpenſis, eò adducor ut ſententiam utramque aliquo modo veritate ſuffultam eſſe credam, niſi quod hunc morbum cum Typho Regionum calidarum confuderint; et ideo contagioſum putarint. Nullo alio modo ſententiarum litem quoad hujus morbi curationem diverſam componere poſſum quae diu bello litterato inter Medicos peritiſſimos quos pa-

tria

tria habuit, exagitata eſt. Altera enim factio mortem certiſſimam aegro pronunciavit, ſi venaeſectioni decurſum fuerit, altera, pari obſtinentiâ, aegri vitam à Medici manibus requaeſiverunt, ſi miſſio ſanguinis non facta eſſet.

Chisholm differentiam eſſe fatetur inter eam febrem quam ille malignam et peſtilentem appellat, et illam quae in Inſulis Indicis Occidentalibus vulgo Flava audit, ut ex ſequentibus apparet. "* During the inſurrection, a ſimilar diſ-"tinction was perceived to take place at Gren-"ville Bay; for the troops, occupying that poſt, "at different times being expoſed, under the "moſt unfavourable circumſtances, to the miaſ-"mata of the extenſive marſhes which nearly "encloſe that unhealthy place, were ſeized with "the diſeaſes which are their peculiar production, "and chiefly by the yellow remittent fever; and "a great many ſuffered by it. It is ſingular, "however,

* Eſſay on the Malignant Peſtilential Fever, page 241.

" however, that although no doubt can be enter-
" tained of the diverſity of the diſeaſe I have
" ſtated, a mode of treatment, almoſt in every
" reſpect the ſame, was found neceſſary in both."

Magis magiſque in hac ſententiâ confirmor morbum de quo agitur à contagio non oriri, ab hac rê, ſcilicet quòd feminae et infantes haud tam promptae ab illo corripiantur, quam ii qui regionis tropicae ardoribus objiciuntur, aut vino et epulis inter amicos dediti, convivium agunt. Hae res conjunctae morbum inducere nunquam ceſſant; et minimum quidem exercitium ſub ſolis ſuperpendentis rabie ſatis eſt ad eum excitandum. Exempla quaedam hujus vidi; unum primipili cujuſdam in caſtris locum honeſtum tenentis, qui vini et brandy ceraſis conditi uſu non ita modico ſibi indulſit. Aliquamdiu morbo caruit, ergo quia ſe jam regioni factum credidit, medio die, aves dejectum ire non dubitavit. Imprudentiae autem poenas graves tulit, febre enim correptus mortem oppetiit. Exempla duo alia vidi, ubi

nec

nec unus nec alter vini vel liquorum ſpirituoſorum uſui immodico deditus erat, ſed utrique tempus breve tantùm in Inſula commorati, febrem advenarum ſe effugiſſe crediderunt. Sub dio igitur uterque in curriculo paullulum ſeſe expoſuerat; et febris poſt jentaculum acceſſit, qua mortui ſunt. Haec duo exempla conjunxi, quia ſimilia erant, licet eodem tempore non acciderunt. In his nullum contagium inveſtigari potuit. De aliis exemplis quoque audivi procul in Mediterraneâ regione occurrentibus, ubi nihil contagii reperiendum erat.

Ad haec plenius confirmanda HILLARY citare libet, qui cum de ſententiâ WARREN diceretur, morbum contaminoſum eſſe affirmante, ita loquitur. " * But a more ſtrict enquiry into the " nature of its ſymptoms, and a better examina- " tion of the blood of thoſe who labour under it, " would have ſufficiently ſhewed him that it was " a very different fever; to which I may add, " its

* Obſervations on the Changes of the Air, &c. pag. 145.

" its not ſpreading and infecting others, as the
" plague always does; for this fever very rarely
" or never is infectious or contagious to others,
" not even to thoſe who attend the ſick, except
" a chance time, when it is in its moſt putrid
" malignant ſtate, in the latter end of the diſeaſe,
" or ſoon after the death of the patient, when
" the ſeaſon is very hot; and this fever is accom-
" panied with the ſymptoms of ſome other ma-
" lignant fever, which is then epidemical and
" contagious." Idem auctor ordine differere per-
git, " But I never could obſerve any one inſtance,
" where I could ſay that one perſon was affected
" by or received this fever from any other per-
" ſon who had it. Neither have I ever ſeen two
" people ſick in this fever in the ſame houſe, at
" or near the ſame time, unleſs they were brought
" into the ſame houſe, when they had the fever
" upon them before they came. From whence
" we may conclude, that it has nothing of a peſ-
" tilential nature in it." Ea quae jam dixit de

naturâ

naturâ ejus pestilenti, quoad naturam ejus contagiosam aequè valebunt.

HUNTER * porrò asseverat quòd, dum febris inter milites legionis sexagesimae quintae, saevissimè grassaretur Nigri ex quater ad octies centenos in operibus ad Montem Richmond eodem tempore occupati erant, qui milites hoc morbo laborantes in nosocomium comportârunt; nemo tamen eorum morbo tentatus est. Et quoniam medici quidam arbitrantur, licet morbus contagiosus sit, nigros homines ex quadam corporis proprietate nativâ malum effugere, verba ejusdem auctoris adducam. "† Ea, quae postea observavi in Martinica et Santa Dominga, adhuc "mihi magis confirmârunt opinionem, quam acceperam, flavam nimirum febrem haudquaquam pestilentem esse. Domo JOANNIS WIERII, "valetudinariorum militarium, quotquot in hac "insula

* Vide Dissertationem Inauguralem ejus.

† Vide Dissertationem Medicam de Flava Febre, 1798.

" insula erant, inspectioni praepositus, egometipse
" undecim noctes continuas in culcitam dormi-
" vi; inquam, duas ante noctes MACLEANIUS,
" secundarius valetudinarii militaris chirurgus,
" flava febre periverat; et nihilo tamen minùs
" id quod non potuisset accidere, si haec pesti-
" lens fuisset, prosperâ, per unum postea annum,
" valetudine gavisùs sum."

Aeris status quidam in regionibus calidis esse potest, qui corpora Europaeorum violentiùs efficiat, et causis praedisponentibus adjuvatur febrem inducere valeat; tamen haud rationi magis congruit, talem febrem contagiosam fore, et eo modo propagatum iri, quam febrem intermittentem a miasmate paludum ortam, contagio postea disseminari.

Talem statum aeris existere signa hunc morbum referentia inducere valentem, ex CHISHOLM manifestum est; nec non a verbis sequentibus LIND, de aeris impuri effectibus in aegrotos in

Jamaica

Jamaica loquentis. " * On that iſland a commodious and excellent marine hoſpital was " erected, for the reception of the ſick ſeamen " in his Majeſty's ſhips on that ſtation; which, " for its uſefulneſs and grandeur, was called " Greenwich Hoſpital. It was unfortunately " built near a marſh, upon a moſt unhealthy ſpot " of ground. The effects of this unhealthy ſituation were, that when a patient was ſent thither, with only a gentle or intromitting fever, " this mild indiſpoſition was apt to be changed " either into a malignant fever, a bloody flux, or " ſome other mortal diſtemper."

Morbus huic ſimillimus in navigatione ortus eſt, ubi non ad paludum miaſmata attribui potuit, qui non contagioſus erat †.

PROG-

* Eſſay on Diſeaſes incidental, &c. p. 173.

† Vide Bryce opera.

PROGNOSIS.

Primum ad corporis conditionem, tempore quo morbus apparet, animadvertendum eſt. Periculum ingens adeſt, ſi poſt expoſitionem longam ſub ſolis ardoribus vel ebrietatem immodicam febris acceſſerit. Si in flore aetatis et plethorici ſunt, triſtes et ſalutis deſperantes; ſi lingua morbi initio tremat; ſi flavedo per cutem maturiùs diffundatur, ſi cutis arida et ſcabra ſit, et quo longius haec ita maneat, tanto pejora ominatur. Suſpiria crebra et profunda, ſanguinis è naribus et aliis locis corporis profuſio, et maculae lividae fatum portendunt. Si vomitio perpetuò ingruat, et quod ejicitur nigrum fiat, haec ſummam debilitatem indicant. Si coma accedat, brevi poſt initium, vel delirium una cum oculis admodum inflammatis, hoc excipiat, nec

non

non evacuationum, ſedium et urinae ceſſatione comitante haec ſigna valdè infauſta ſunt.

E contra autem ſpes exitûs felicioris fovere licet, ſi ſigna jam memorata abſint; cum dolores et vomitiones recedant, ſitis non valde premat, flavedo non ante diem ſeptimam appareat, vel donec coma et alia ſigna pejora evaneſcere caeperint; cum evacuationes ſedium et urinae non multum a ſtatu naturali mutentur; aut ſi diarrhoea superveniat, quae non aegrum debilitat, ſed oppreſſionem et anxietatem levat; ſi ſudor lenis, calidus, et naturalis prorumpat; et aliqua alimenti cupido oriatur. Si narium hemorrhagia initio morbi eveniat, interdum critica eſt. Bryce * ait, febris levamen ab linguâ circa margines et partem extremam, puritatem accipiente, indicatum fuiſſe; et praeter omnia alia quod aeger ſomno integro et reparante frui inciperet.

* Vide Operis ejus pag. 35.

CURATIO.

Consilia Medendi tria indicantur,

1mo, Materiam corruptam in via alimentaria expurgare, et ne postea congeratur, prohibere.

2do, Violentiae febris moderari, et signa graviora levare.

3tio, Proclivitati in putrefactionem obviam ire, et corpori tonum et vigorem reddere.

Quod ad horum primum attinet, emeticorum usum ad materiam acrem biliosam, nimis abundantem, expurgandam, ab ratione ordinariâ medicis suggeri necesse est. Haec in ventriculo congesta signorum gravissimorum complurium ab initio morbi causa esse videtur. Sed experientia docuit, talem usum emeticorum non modò periculosum sed nocentissimum esse. Ventriculi enim tunicae stimulo jam admodum affici viden-

tur,

tur, bilis acrimoniâ forſan inflammatae. Emeticorum leniſſimorum igitur exhibitio, vel doſibus minimis, vomitionem perpetuam inducere periclitatur, inflammationem ciere pronam, quae, omnibus tollendi rationibus ſpretis, in gangraenam tandem deſinet. Sed re maturius perpensâ nullam cauſam perſpicere poſſum, cur medicamina ad vomitum ciendum dare oporteat, quippe actio illa, bilis irritatione, jamjam excitata eſt; et nihil faciendum reſtat, niſi ut ſtomachi congeſta acria dilutione copiosâ mitigentur, quod aquae hauſtibus magnis efficere licet, vel quod forſan potius ſit, in bilem chemicè agendo, limonum praeparato, vel acidi ſulphurici guttis paucis in aquâ dilutis.

Cum ventriculus his modis purgatus ſuerit, ad partem alteram conſilii primi accedendum eſt, quam ab catharticis peragere neceſſe erit. Sin autem ventriculus adeo excitatus perſtet, ut ea retinere neget, opiatum, camphorâ commiſtum,

prius

prius adminiſtrari debet. Hoc temporis aegrum quietum paullulùm manere praeſtabit ut remiſſionem ab anxietate ejus habeat, et ventriculus tonum ejus idoneum recuperet. Properandum eſt utcunque ad cathartica quam primum adminiſtranda, licet fortuna non tempus ab vomitione perpetuâ liberum concedat; pars enim aliqua eorum in ventriculo retineatur, vomitione haud ejecta; et haec inteſtina ad munera ſua fungenda excitet, vomitumque mitiget. Medicamina à quibuſdam in hanc rem laudata, ſales ſunt neutrales, ab aliis verò cathartica antiſeptica, putà manna, tamarindae et tartari cryſtalli.

Sed utcunque haec in exemplis mitioribus utilia inveniantur, in pleriſque ea exhibere non licet. Nam quia ventriculi excitatio jam permagna eſt, et haec inteſtinorum ſtatum torpidum plerumque inducunt, doſes majores et fortiores, praeter certitudinem magis excitandi, dare poſtulatur, quam ſtomachus ferre valebit. Proſpiciendum

ciendum eſt igitur ut medicamen aliquod inveniamus, parvâ mole et pari efficacia; et in hoc propoſitum, nihil aeque reſpondere, ac hydrargyrus muriatus mitis, experientia docuit. Actio ejus ab jalapa, gambogio, ſcammonio, et ſimilibus accelerari poteſt. Haec medicina in omnibus regionum calidarum febribus multis laudibus praedicatur, ut ex libello quodam in Medicinae Annalibus anno 1797, a Doctore WRIGHT conſcripto, videre eſt *.

Effectus porrò ejus, ſucceſſu ſingulari ſtipantur, ut ex verbis ſequentibus Domine BRYCE apparet, "I have often given a briſk cathartic of this "kind, when the pulſe has been ſo feeble as "ſcarcely to be felt; when hemorrhage, low de-"lirium, nervous tremors, and faintings, ſeemed "to indicate the greateſt debility; and after ſe-"veral copious, viſcid, and exceſſively putrid

"evacuations,

* Vid pag. operis ejus 346.

" evacuations, procured in this manner, have had
" the ſatisfaction to find that the patient very
" ſoon acquired great increaſe of ſtrength; that
" thoſe threatening ſymptoms went off entirely;
" and that by continuing theſe evacuations, ac-
" cording to circumſtances, the diſeaſe was ſoon
" brought to a happy termination *."

Hydrargyri muriati mitis quantitas admini-ſtranda, multùm ab effectibus ejus pendebit. Si inteſtina non prius diarrhoeâ afficiantur, quindecim grana, et tantundem pulveris jalapae, primae doſi attribuenda arbitror; et hydrargyri muriati mitis quinque ad decem grana, in ſpatia trium aut quatuor horarum ſingula, deinceps, pro actione ejus in alvo movenda, adminiſtrari poſſunt.

Enema emolliens exhiberi debet, antequam catharticum ab aegro ſumatur, ad faeces induratas,

* Page 63.

tas, si quae sunt, ex intestinis abducendum, et actionem ejus melius promovendum.

Ad consilium secundum nunc progredior nempè ad signa gravissima amoliendum. Haec plerumque sunt dolor capitis et in regionibus epigastricis, una cùm anxietate febrili magna. Hoc consilio si pulsus fortis sit, et aegrotus habitu plethorico, venaesectio, in vel ad uncias octo, forsan ea levabit. Multùm autem cavendum est ne hâc temerè utamur; si in primo morbi accessu non arcessiti fuerimus. Et ne tum quidem sanguinem mittere licet, nisi omnia alia prius frustra tentata sint, ut cataplasmata, sinapismi et topica caetera.

Violentia febris mitigari potest aeris puri et frigidi liberâ admissione. Beneficia hujus manifesta sunt, ex iis quae Bryce * refert, nempe quod: " When unable to walk, they were car-

" ried

* Vide Pag. ejusdem 80.

" ried upon deck, and expoſed to the free air
" with the greateſt advantage; if they had been
" delirious or in a comatoſe ſtate while below,
" theſe ſymptoms generally went off after having
" been ſome time on deck; the pulſe became
" more firm; and, above all, the calomel was
" rendered more certain and ſpeedy in its ope-
" ration."

Pedum et manuum aceto et aqua frigidâ lavatio ſaepies repetita, in cathartici actione promovendâ multum juvabit.

Quatenus frigidarii uſus amplior beneficio foret haud liquidò mihi conſtat. Ex effectibus ejus ſalutiferis in patriae febri putridâ et in febri quâ Doctor WRIGHT correptus fuit, dum ex Inſulis Indiae Occidentalis domum navigabat; nec non ex aliorum teſtimoniis, multus adducor ut credam, affuſionem aquae frigidae vel aquae aceto commiſtae plurimum beneficii in hac quoque allaturam eſſe.

Sudorifico

Sudorifica in hoc morbo non adhibere licet ſine multo ventriculum magis ſtimulandi periculo. Iſto tamen modo hauſtus repetitos limonum liquoris, vel ſago cùm limonum ſucco, acidi ſulphurici guttas paucas aqua dilutas, fructus acido-dulces et ſimilia dare poſſumus.

Quod ad conſilium tertium attinet, ſcilicet corpori tonum et vigorem reddere, et putrefactioni citiſſimè occurrere; tanta et tam rapida in diſſolutionem proclivitas in hoc morbo cernitur, ut nullum tempus haec agendi omitti debet. Cinchona adeò antiſeptica, et in regionum calidarum febribus aliis tam uſitata, nihil in hac prodeſt, quia ſtomachus tanta excitatione tenetur, ut doſini doneam ejus, utcunque datam, non ferre valeat. Niſi in exemplis mitiſſimis igitur non poteſt exhiberi; multo autem beneficio in parte alterâ hujus conſilii exſequendâ uſurpatur, nempè in vigorem corporis reſtituendo, cum primum ſigna jam remitti animadvertantur. Radicem ſerpentariae ſub forma infuſi, HILLARY multùm

tùm proficere invenit, de virtutibus cujus ita loquitur. "Wherefore I tried it mixed with
" ſome others in the following manner, and with
" much better ſucceſs than I could hope for, or
" durſt expect. For I found that a light infuſion
" of this root not only ſat eaſily on their ſto-
" machs, but it moderately raiſed the pulſe and
" fever, which were now ſunk too low, and kept
" them in an equal moderate ſtate if prudently
" given*."

Capſici in hujus morbi curatione uſus plurimum nuper obtinuit; multo beneficio credo. Sub parva mole dari, et longe facilius quam cetera anteſeptica et ſtimulantia in ſtomacho retineri poteſt, hydrargyro muriato miti etiam conjungitur. Ab quibuſdam in Jamaicâ medicinam exercentibus, ad vomitum levandum, utile fertur; et pilula ejus circiter grana tria complectens in hunc uſum conducit.

Ex

* Vid. page ejus 165.

Ex omnibus antiſepticis vinum praeſtat quia ſimul alimentum praebet. Vinum Madeirenſe optimum in hanc rem judicaverim; et niſi admodum aegro ingratum ſit, cyathus vini, horarum trium per ſpatia ſingula, ſtadio morbi primo, adminiſtretur, poſtea augendi, morbo progrediente. Ante ſtadium poſtremum vel etiam poſt hoc acceſſerit, pulſum à depreſſione, vini enematibus, horis ternis aut quaternis redeuntibus, prout retineantur, ſumma ope ſuſtinere laborandum eſt. Vini in hoc morbo effectus boni in exemplo Domini HUNTER optime illuſtrantur. Ad finem morbi, cum etiam epiſtaxis ſuperveniſſet, vini hauſtus largus fato imminenti eum eripuiſſe videtur.

Diaeta levis, antiſeptica, concoctu facilis, et maximè e vegetabilibus conſtare debet. Fructus maturi aciduli; panis hordei aut oryzae decoctiones vel infuſa, ſucci limonum aut tamarindae conſervatae, dandi ſunt, quibus vini Madeirenſis paullulum addatur.

addatur. Quodcunque horum usurpetur, copiâ parcâ, et frequenter, administrandum est. Variare quidem ea melius erit, ne ingrata fiant. Aquae frigidae haustus modici permittendi sunt, cùm aeger sitiat et multùm cupiat. Per totum morbum mundities summa servanda est ; aegri vestes linteae et stragula frequenter mutandae sunt.

Ex hac febre convalescentes multùm sibi consulere debent, cum morbus non solum per se ipsum periculi plenus est, sed aliis viam aperit forsan levioribus tamen haud minus timendis. Horum praecipue sunt dysenteria et jecoris affectiones.

Victus modicus, nutriens, exhilarans capiendus est. Si modò fieri potest, aeris mutatio in rus, proderit. Si vires admodum prostratae fuerint, exercitium violentum vel corporis vel mentis aeger vitet ; gestatio tamen modica in equo vel curru,

tempore

tempore matutino vel veſpertino clementi, ſuadenda eſt. Si appetitus non redeat, aut concoctio mala ſit, cinchonae tincturae compoſitae cochleare unum cum acidi ſulphurici aromatici guttis paucis, in aquae vel theae florum chamaemeli frigidae calice, mane, et poſt meridiano ante prandium ſumatur.

FINIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

Apud ALEX. SMELLIE.